Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 51

Quelle:
Copyright:

dovicum Regem, quam ad *Geroldum* Archidiac. Palatii. Inter *Epiſtolam ad Coloſſ.* et *Theſſalonic.* irrepſit ſpuria *ad Laodicenſes.* I. *Joh.* 5. ſolum teſtimonium coeleſte ita expreſſum eſt: *Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in celo pater verbum et ſpiritus ſanctus Et hij tres vnum ſunt.*

XXXVIII.

E. 4. a. Codex membraneus belg. Sec. XV. Folior. 334. numeratorum, praeviis 9. non numeratis, f. maj. per duas columnas elegantiſſime perſcriptus, magno cum Iconum, tum aliorum ex auro coloribusque ornamentorum adparatu, olim *Eugenii Sabaudici*, inſtitutus vero a Viro quodam eccleſiaſtico, fortaſſe Canonico *Leodienſi* aut *Ultrajectino*, cujus Figura adgeniculata B. V. Mariae viſitur *pag.* e numeratis 1. adſtante quodam ſancto Epiſcopo, ſcutoque adjacente, quod conſtat faſciis octo horizontalibus aureis et rubris alternis, quarum rubrae argento punctatae ſunt, Opus *Biblicum* eſt, cujus indolem dabo. Init ab Elencho Librorum ſacrorum, quos continet, per ſingula Capita. Sunt vero ſequentes: *Pentateuchus, Joſue, Judicum, Ruth, Regum IV. Tobias, Ezechiel, Daniel, Judith, Eſther, Job, Parabolae Salomonis, Eccleſiaſtes, Cantica, Sapientia, Eccleſiaſticus*, ita tamen, ut intexantur *Esdras* et *Joſephus* de *Cyro* et *Alexandro*, et Librorum Doctrinalium non niſi priora Capita ponantur, ceteris, ut ait Librarius, *om der cortheit wil* omiſſis. Elenchum excipit Praefatio in commendationem ſ. Scripturae hoc initio: *Onſe here god voerſiende die grote droetheit van devocien die in ſinen volke toecomende was end weſen ſoude, ſo aenroept hi ons alle traghe menſchen, Ende biedet ons ſine gracie bi ſinen prophete yſayam. Ende ſeyt aldus. Ghi alle die dorſt hebt, coemt ten watere* &c. Sequuntur Picturae duae folii magnitudine, prior aurea tota Deum ſolum in ſede majeſtatis ſuae, altera ſyſtema Mundi cum Planetis, Sideribus, Zodiacique Signis Angelorum choris circumdatum Deo rurſum ſupra locato exhibet. Tum demum inchoant Biblia, et quidem per particulas, quarum ſingulis commentarius e *Scholaſtica Petri Comeſtoris Hiſtoria* ſubſtratus eſt. Ita *Geneſis: In den begin ſciep god hemel ende eerde. Mer die eerde was onnut ende ydel* &c. ubi nunc *Dordracena Amſt.* 1660. f. legunt: *De aerde nu was woeſt ende ledigh. Scolaſtica. In den beginn was twoert, ende dat woert waſt beginne In den welken ende by den welken die vader die werlt ſciepe* &c. Per decurſum operis adparet, Libros Biblicos in *Elencho* praeteritos hinc inde, ubi Chronologia ſuadebat, ſaltem particulatim immixtos eſſe. Libri *Regum* et *Alexandri* Hiſtoria Iconibus abundant; ab hac vero, quae *Codicem* terminat, folium ſaltem unum periiſſe videtur. In *Jobo* notantur etiam *Lectiones* in Officio pro Mortuis recitari ſolitae.

XXXIX.